

à Buldern  
ARNOLDVS VESALIUS  
ENSIS STUDIO SO LECTORI  
SALVTEM.



N TIBI MACROBIVM CANDIDISSIME LECTOR, quem tantopere expectasti, quem tuis studiis deesse identidem querebaris, quemque uel solum existimasti, ut omnibus fere latinis, ita imprimis Vergilii poematis enarrādis cum utilem tum necessarium. En, inquam, ex foedo nitidum, ex obscurō apertum, expeditum ex intricato, ex cōfuso digestum. Multa erant in hoc autore (pro be nosti) quae pituitosas etiam nares offendebant, quaeque fastidiebant mox faciūlentiae aures, & ob quae uel indoctus lector facile nauseabat. Nullo consilio sententiarum decurrebat oratio, nullis interuallis prosa ab oratione numerosa dissidebat: quae intersticiis erant diuarianda, consepiebant: quae ediuerso cōcludenda, hiabāt dispositis limitibus. Nullus erat capitū mēsus, idoneus saltē, sed passim ineptiæ, passim errata, passim altæ lacunæ, passim ingētia æq̄ra nudæ papyri pminebant. Cæteræ nūc uides fere oīa nitorē suū recuperasse, & pristinā illā genuināc̄ faciē proferre, atc̄ adeo scilicet, periodis, cōmatis, & id genus aliis habenis obuinctā orationē, capita rite discriminata, oppletas lacunas, & æq̄ra ante inarata felici Græcanicæ dictionis segete redūdere. Sunt tñ aliquot loca, q̄ asperiorē adhuc limā desiderāt, sed ea equidem crediderim, quae nemo facile castigabit, nisi castigationibus exemplaribus adiuvetur, habeatq; librorum copiam expectatissimā, aut (quod fateri non uerebimur) felicissimo sit ingenio, acer- rimoc̄ iudicio. Nulla exemplariū uetus, nullæ chartæ excussæ pulueribus, nullæ dispunctæ membranæ (ut fieri solet) nostram hanc opellam promouerūt: sed siquid præstitimus, id sedulo labore & crebris lucubrationibus elimatū est. Retexuimus totius orationis tælam, tam propria autoris fila, q̄ aliorum etiam inserta subtegmina perscrutati. Si quid fortassis hiulcum occurrisset, mox obstruximus: si compactum nimis, diduximus: sustulimus, si nothum: adiecimus, si necessarium. Neq; adeousq; temere & imprudenter ut speramus. Nam & castigando quae deprauata erant, & restituendo quae non erant, sulcos & liniamēta tam Macrobiī q̄ aliorum quos citat, persecuti sumus. Ominamurq; futuræ, ut sicubi adhuc delitescat Macrobius integer & emaculatus, hoc nostro quantulocunq; labore excitus, in publicum tandem prodibit. Quod cum fiet, & mihi & per me omnium studiosorum uotis abunde satissactum arbitrabor. Vale Coloniæ.

